

1795.

1311 d. 10 Juni

Stegeborg.

Konung BIRGER uppdrager åt Sigmund Keldorsson, att på tinget gifva Ärkebiskopen och Upsala domkyrka fasta på den af Konungen sålda gården Håtuna med dess tillhörigheter. (Se N. 1796 och 1797).

Registr. Eccl. Upsal. perg. pag. 27. (f. 36).

BIRGERUS dei gracia sweuorum gotorumque rex Discreto viro sigmundo keldorsson cum dilectione salutem, Presentibus damus tibi nostris litteris in mandatis vt terram nostram in hatunum videlicet quinque marcas terre et octo solidos terre cum omnibus eidem terre attinentibus et cum molendino quodam in quadam alia villa sito quod ad ipsam eciam terram dinoscitur pertinere, quia ea venerabili patri domino nicolao archiepiscopo vpsalensi et ecclesie sue vpsalensi pro precio certo vendidimus, ipsis in publico pretorio seu communi placito vice nostra et nostro nomine tradas et assignes jure proprietatis et directi domini perpetuo possidendam, adhibita tunc ibidem secundum morem patrie sollempnitate legali et datis ex parte nostra testibus siue firmariis qui fastæ communiter appellantur. Datum stækaborgh Anno domini Millesimo CCC^o XI^o Quarto idus iunii.

1796.

1311 d. 11 Juni.

Stegeborg.

Konung BIRGER säljer sin gård Håtuna med dess tillhörigheter till Ärkebiskop Nils och Upsala domkyrka för 163 mark lödigt silfver.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl. *).

Omnibus presentes litteras inspecturis, BIRGERUS¹⁾ dei gracia sweuorum gotorumque Rex. Salutem in domino sempiternam. Ne veritatem obliuio sub silencij modio sepeliret, aut rei geste legitime seriem obfuscaret, neue fierent lapsu temporis dubia que sunt presentibus luce clarius manifesta, ea in publica redigi munimenta prouida et fidelis antiquitas adinuenit. Hinc est quod presentibus litteris in publicam nocionem proferimus tam presentium quam eciam futurorum Nos venerabili in christo patri domino²⁾ Nicolao archiepiscopo vpsalensi et ecclesie sue³⁾ vpsalensi predium nostrum siue terram in Hatunum vpsalensis dyocesis videlicet quinque marchas terre et octo solidos terre, quod quidem predium siue terram de Nobili viro

*) Nästföljande bref, hvars början är af lika innehåll, har följande variationer: 1) Byrgerus. —

2) domino *uteslutet*. — 3) sue ecclesie. —

domino Gerardo Comite Holzaeie awnculo nostro pro iusto precio habuimus titulo⁴⁾ empcionis, cum omnibus eiusdem terre appendicijs et dependicijs videlicet agris, pratis, colonijs, piscarijs, molendinis, molendinorum locis, pascuis, siluis, saltibus, nemoribus, nec non et cum quodam molendino jn quadam alia villa siue predio ibi prope sito, quod ad dictum predium siue terram dinoscitur pertinere, et ceteris alijs pertinencijs expressis et non expressis, pro centum et sexaginta tribus marcis puri argenti pure et simpliciter vendidisse, jure proprietatis et directi dominij perpetuo possidendam. Transferentes jn dictum archiepiscopum et ecclesiam suam vpsalensem predictos plenam potestatem et omne jus memoratam terram siue predium cum ipsius appendicijs et dependicijs supradictis, possidendi, vendendi, obligandi permutandi donandi seu quomodolibet alias ordinandi de ipsa pro sue libito voluntatis. adhibita super hoc sollempnitate legali iuxta morem patrie jn pretorio publico seu communi placito, et datis ibi testibus seu firmarijs qui fastar vulgariter appellantur. Obligantes eciam nos et heredes nostros ad cauendum nunc et jn antea domino archiepiscopo et sue ecclesie vpsalensi⁵⁾ predictis de euictione dicte terre siue predij et ipsius attinencijs siue dependencijs quibuscumque, nobis et nostris heredibus ac alijs quibuscumque omnj facultate prorsus adempta sepredictum predium siue terram cum suis attinencijs antedictis jnpetendi, repetendi seu alias quouis⁶⁾ exquisito modo vltorius vendicandi. excepcioni eciam non habiti totaliter vel jn parte dicti argenti, vel non numerati aut non legittime ponderati, et excepcioni doli, ac omni legum et juris canonici et ciuillis auxilio quod ad irritandum presentem contractum nobis possent⁷⁾ aliquoaliter suffragari, renunciantes penitus et expresse. Jn Cuius facti nostri robur et euidenciam plenioram, sigillum nostrum, nec non et sigilla nobilium virorum, dominorum kanuti jonson dapiferi nostri dilecti, fulkonis jonsson, benedicti boson et Johannis howdh⁸⁾, qui jn hoc contractu nostro⁹⁾ presencialiter affuere¹⁰⁾, presentibus sunt appensa. Datum aput stækaborgh anno domini Millesimo. CCC°. XI°. Tercio Jdus Mensis junij.

Sigillen N:o 1, 2, 4 skadade; N:o 3, 5 borta.

4) tytulo. — 5) vpsalensi *uteslutet*. — 6) questionis. — 7) posset. — 8) howt. — 9) nostro contractu. — 10) affuerunt. — Samma bref finnes äfven intaget i en af Påfven Johannes XXII den 3 Febr. 1317 utfärdad vidimation.